

de Nassovu, Emicho Comes de Lunningen, Engelbertus Comes de Monte, Theodoricus Comes de Hostaden, Gerardus Comes de Nurbec, Henricus Comes de Arinsken, Hermannus Comes de Ravensberg, Henricus Comes de Kucx, Vernerus Comes de Wittinistein, Widekindus de Waldeck, Fridericus de Anfurde (Steinfurde) Hartmannus de Buttingen, Vernerus de Bulande, Conradus Pincerna, Henricus Marefcalcus de Pappenheim, Sibodo de Greix Camerarius et alii quam plures.

*Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris invictissimi Ego Godefridus Imperialis aulae Cancellarius recognovi. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis 1180 Indictione 13 regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore invictissimo, anno ejus regni 29, imperii vero 16 feliciter Amen.*

Tandem igitur post comitiorum tonitrua adversus Leonem, duplici superiori anno victoria exultantem, hoc ipso anno fulmen belli consequutum, quo Dux ex omnibus suis per Saxoniam provinciis dejectus est. Quam in rem Fridericus Imperator ex omni Germania eduxit instructissimum exercitum mense Julio in Saxoniam, insigni multorum Episcoporum, Principum, Marchionum & procerum comitatu, quorum adventu cognito, Saxonia penè omnis exterita, ab Henrico Duce defecit ad Cæsarem; multique etiam clientes castrorumq; præfecti, Henricus de Witho, Lupoldus de Hertesburg, Ludolphus de Peina, ceteriq; à puero cum ipso enutriti à Duce descivere: ultroque in potestatem Cæsaris venire castra Hertesburgum, Levenburgum, Blanckenburgum, Ragensteinium, aliaque primi impetus spolia; unicum cum obsisteret Lienthenbergium, intra paucos dies expugnatum est. Tum verò Hertesburgum in monte castrum haud procul Goslaria, Henrici IV Imperatoris perfugio, & tot Saxonum expugnationibus celebre, à Friderico Imperatore instauratum præmunitumque.

Accessit per id tempus ad castra Cæsaris Philippus Coloniensis Archiepiscopus cum exercitu, ad Rhenum per Westfaliam contracto, multique cum eo Episcopi; quos inter & Sifridus Episcopus noster Paderbornensis fuit. At Cæsar cum jam, profugo Leone in Transalbianas regiones, Bernardum Ducem Saxonie Orientali imposuisset, abrupto tantisper victoriae cursu, in Bavariam properavit, rediturus ad festum S. Martini; quò delatus Ottonem Wittelesbachium solemniter Ratisbonæ inauguratum Bois Ducem præfecit. Fatalis Leoni annus, quo triplici Ducatu spoliatus, vidit tres alios in possessionem suarum provinciarum venire.

Philippus  
Archiep.  
Colon.  
in obli-  
dione  
Brun-

Inter hæc Philippus Coloniensis Archiepiscopus, à Cæsare in Saxonia relictus, Brunswicum, hereditariam Ducis sedem, urbemq; munitissimam, suscepit expugnandam. Quam in obsidione cum ad eum accederet Corbeiensis Abbas, questus de damnis superiori, ut diximus,